POETA

PRÆCIPUE VERSIBUS CELEBRET

QUÆ AD RELIGIONEM PERTINENT

ORATIO

CAROLI BOLOGNA

VICETIÆ
TYPIS PARONIANIS
1858.

192

LUDOVICO GALLO

STUDIORUM PRAEFECTO

IN SEMINARIO VICETINO

Fausta qua die in augustum Canonicorum Collegium cooptaris, valde profecto dedeceret, nos Tibi aliquod laetitiae et gratulationis argumentum non exhibere. Quapropter latinam Orationem Caroli Bologna *Tibi sistimus; quam quidem, tamquam nostrae erga Te observantiae et obsequii pignus, Te benigne excepturum confidimus.*

Vicetiae MDCCCLVIII.

SEMINARIENSES

Quidam poeticam facultatem suspiciunt tamquam praeclaro munere divinitus datam humano generi; nonnulli eamdem veluti infestam virtuti, ac natam ad labem et perniciem civitatum reformidant. Atque hos ego, qui ab illis tam mire dissentiunt, non solum non reprehenderem, sed etiam multum commendarem; si, quae mala tantopere dolent et quae sunt certe aliquando multa, Poetica inveheret pravitate sua, neque ea unquam, ubi diligens cura esset suscepta, ad honestatem et utilitatem converti posset, si inde discessisset. Verum, si non ab arte, at prorsus ab iis, qui artem exercent, hoc est, quodcumque est, incommodi, non tam in eam par erat querelas fundere, quam, quod omnibus in rebus sapientis est, providere, ne, quae innocua est per se, in vitium adduceretur improbitate hominum, qui nonnumquam quidquid magis sanctum est et necessarium ad pestem detulerunt. Retinenda est igitur Poetica, colenda summo studio, praemiis et honoribus afficienda, at simul, ne quid in posterum detrimenti accipiat, tutanda ab aliena malitia, ab omnis turpitudinis suspicione removenda, revocanda ad pristinam dignitatem; ut ea tantum afferat et versibus comprehendat, quae non solum doctorum hominum, sed etiam virorum gravissimorum auribus digna iudicentur. Video ego, haec animo dum reputo, in

396

rerum infinita prope multitudine, quibus natura continetur ad imitandum proposita, undique plura, quae magna cum laude et utilitate tractari queant a Poetis, si qui, digni nomine hoc tanto, sapienter ad illa ingenium studiumque contulerint. Attamen cum Poeticae consultum iri intelligam si ea dicantur; tum vero maxime, si quae sunt divina, aut cum diviuis coniuncta, dicantur saepius, ita a Poetis ceteris rebus omnibus anteposita, ut ipsa per se omnibus antecellunt. Quod quidem, cum et Poeticae rationibus et his Adolescentibus* videatur in primis convenire, defendendum suscipio, Christiano Poeta quasi in medium producto, quem, etsi publicam lucem nonnihil hoc tempore formidantem, certo scio tuto posse et honeste in conspectu vestro consistere. Ut igitur is spectetur ea ratione, quam volo, itaque a vobis probetur, sic statuo: *Sapienter facere Poetam illum, qui praecipue versibus celebrat, quae ad Religionem maxime pertinent.*

Si qua est ars aut disciplina cum rerum divinarum cultu studioque coniuncta, cum eo Poetica tanta societate et cognatione devincta est, ut non solum extiterit ex omni memoria Religionis comes et ministra, sed ab ipsa quoque Religione primum sata, suscepta, educata prodierit. Videntur mihi homines a principio, quocumque oculos iniecissent, ad contemplandum excitati hunc ornatum coeli suspexisse, hanc varietatem tantam pulcritudinemque naturae, et in tam incredibili rerum ordine atque ubertate sapientiam conditoris Dei et beneficientiam cum secum cogitarent, qua commoti admiratione, qua laetitia perfusi vocem et cantus emisisse. Tum mihi alii animo occurrunt, qui superiores secuti atque imitati, sensim minus rudia et ad quamdam legem exacta conati sunt; utque templa pulcriora domibus suis, ut simulacra humanis corporibus ampliora divinae naturae dedicarunt, ita eloquio

* *Seminarienses adloquebantur.*

augustiore eiusdem laudes extulerunt, quod distinctum illustribus verbis atque sententiis, quod numeris modisque comprehensum, illam ipsam artem peperit praeclarissimam, quae deinde aucta est et tandem absoluta. Ac si, quantum praeterita respicere mens potest, libet Poetas ipsos recognoscere, primus omnium se se obiicit et quasi lucet Moyses; cuius carmina de Deo egregia et splendidissima, ut cetera omnia, quae quidem literis sunt tradita vetustate antecedunt, ita superant et obruunt magnitudine sua. Neque vero secus aut Orpheus, aut Linus, aut alii aliarum gentium Poetae, etsi a pietate, quae est colenda, longe abessent in superstitionem delapsi, ad ea cognoscuntur omnem vim carminum contulisse, quae ad Deos pertinerent; atque ita ritus, caeremonias, res sacras mandasse versibus, ut, cum adirentur, tamquam ministri Religionis, sacerdotes, vates, Deorum interpretes et filii vocarentur. A quorum consuetudine cum post deflexisset Homerus et bella etiam ac duces cecinisset, nunquam prorsus discessit ab instituto maiorum et in Poemate de bello Troiano, et item altero de Ulixe passim Deos et divina celebravit. Quid Pindarus? quid Simonides? quid Alcaeus? Alcmenes? Stesichorus? Tucidides? quid, ut innumeros omittam, qui in Graecia floruerunt, Hesiodus et Callimachus, quorum alter laudes Deorum multorum, alter eorum omnium ortus et genus diligentia est accuratissima persecutus? Nihil ego de Latinis Poetis dicam, qui in omnium sunt manibus et e quibus ille ipse, quem nostis, Lucretius exorditur a Diis eo ipso in carmine, quo impias de iisdem opiniones tradit ex Epicuri disciplina. Graecorum vero et Latinorum Mithologia vel eorumdem Theologia est, unde Poetae in carmina invexerunt Religionem Deorum, quibus non solum coelum et mare, sed fontes etiam, sed nemora, sed agros, sed arbores et truncos impleverunt. Omnino omnium temporum, omnium populorum, quotquot unquam fuerunt, Poetae aut de Religione plene scripserunt, aut quae ad Religionem attinebant, semper attigerunt, cum alia scriberent, ut ab eadem se minime temperaverint etiam cum

vitia et libidines suas, quod eorum ferebat superstitio, laudibus exornarent. Quid igitur? Quis, haec cum ita sint, Christiano Poetae succenseat, si Religionem suam suis laudibus canat? Quis hunc potius sapienter facere non existimet, si ad eas res celebrandas adiicit animum, in quibus Poetica instituto suo et suo quasi iure versatur? An satius fuerit nunc a Religione divulsam tandem velle eam facultatem, quam ab eadem Religione post homines natos aetas nulla distraxit? Aut quam Poetae veteres in Religione illa omnibus erroribus contaminata tam sedulo retinuerunt, consultius nostri in hac, in qua vivimus, divinissima repudiabunt? Enim vero, si quis haec sentiat, non de Religione solum, sed de Poetica ipsa perverse meretur. Quid enim? Quid sibi vult, aut quo tandem spectat Poetica? Nimirum huius artis, ut et ceterarum, quae naturae imitatione continentur, vis magna in eo est posita, ut audientes legentesque afficiat voluptate. At, ut revera oblectent et oblectando detineant Poetae, ea afferant necesse est, quae et utilia sint et hominum vitae idonea. Ut enim placent et amantur, quae nos proxime tangunt, ita quae a nobis sunt aliena in delectatione non possunt esse diuturna. Iam vero quaenam res hominibus aut maior, aut proprior quam Religio, cuius gentes nullae tam immanes, tam efferatae magnam curam non susceperunt? Erat, erat nostris praecipue temporibus hoc reservatum, ut ii etiam essent exorti, qui pietatem ex omnium animis conarentur avellere, quam ipsi primum libidine profligata atque proiecta abiecissent. Verum, qui hoc sunt moliti, neque Religionem satis noverunt, neque hominum naturam; quorum plerique, quidquid agant, quidquid cogitent, quacumque versentur, a Religione non duci et non impelli nunquam poterunt. Poetica vero non iis tantum, in quibus ista sit impietas et insania, sed populo nata est et multitudini. Iam vos mihi testes volo, quibus, quae esse decet, Religionis cura est. Quid? si quis Poeta, non quidem ex minutis istis, quorum tanta et tam molesta est turba, sed si quis Poeta bonus magnum aliquid e media Religione, aut etiam, si ita libeat, Religionem

ipsam, quod ipsi vidimus, iactatam tot fluctibus, et procellis, at certe ad novum semper splendidiusque decus evasuram, inciperet dicere, quo studio huic aures atque animum praeberetis? quo vos amore caperemini tantarum rerum, si is, ut par esset, referret direpta et subversa templa, dispersos in diversa exilia et conclusos Proceres sacros, innocentissimos homines et sanctisimos crudeliter caesos, pressam abductamque squallore Ecclesiam, flentibus omnibus bonis, ipsum Parentem Christianorum Pium VII Pontificem Maximum insigni praestantem pietate, constantia, fortitudine invictissimi animi in remotas regiones abstractum inter arma et genus omne aerumnarum; eumdemque postea, tamquam lumen, ut olim Petro, refulserit in habitaculo, Angelo coelo illapso, tamquam catenae subito ceciderint de manibus eius, dissipatis consiliis impiorum, emissum e custodia a Gallia discedentem, redeuntem per Italiam affusa, quacumque incederet, omnium ordinum atque aetatum multitudine, ac tandem ingredientem Romam; ubi ille diuturno et inexplicabili desiderio expectatissimus festo totius urbis apparatu, splendida militum Ducumque deducentium pompa, occursu Sacerdotum, Antistitum, Purpuratorum Patrum, consalutationibus adstantis Senatus, Principum et Regum praesentia atque obsequiis, universi populi clamoribus, plausibus, lacrymis, viis ipsis quodammodo et parietibus exultantibus, Vaticanam in Aedem Civium prope humeris sublatus est? Quantum, inquam, si quis haec, aut his similia digne referret et caneret, vos teneremini versibus fruge plenis! Quantum honestissima et verissima voluptate devinceremini! Quod certe perspexerunt Poetae illi Graeci et Latini, qui longiori praesertim in carmine iam inde a principio Musas Deosque invocaruut. Nam quemadmodum Plutarchus et Eustathius de Homero monuerunt, ita Numinis et Religionis opinione alliciebant, ut quidquid dicerent tamquam maius graviusque videri vellent ab ore divino accepisse. Quamquam, cum dem ultro delectare esse Poetarum, numquam putem Poetas nobiles id unice quaesivisse, ut inani tantum

400

dulcedine aures mulcerent et delinirent. Illud est propositum, illud, in quo Poeticae laus est summa et praecipua, ut exemplis ad intuendum insignibus et clarissimis honestas proponatur; atque praecepta vitae per se austeriora oratione suavi, numerosa, magnifica cum incurrant in sensus, facile et furtim quodammodo in animum influant et illabantur. Sane Poetae olim, quorum e doctis et literatis hominibus genus est antiquissimum, cum, ut Cicero et Strabo scriptis prodiderunt, ad rerum fere omnium cognitionem, tum praecipue ad morum scientiam erudiebant, sapientissimi mortalium appellati et sapientiae parentes ac Duces. Qui, quoniam ab agresti rudique vita ad hunc civilem cultum putabantur primum homines traduxisse, dicuntur in fabulis feras moliisse canendo, et plantas et saxa, quo voluerint, perduxisse. Quare Poesis iure dicta est a Maximo Tyrio, iucunda et opportuna .philosophia. Haec sunt gravissima certe et utilissima, quae profitentur Poetae, sed tamen quae nunquam aptius praestabunt, quam cum Religionem in partem vocaverint. Unde enim haec petant tutius? Nimirum, cum illi ipsi, qui vitae magistri sunt habiti, saepe cum veris falsa tradiderunt et cum honestis turpia, nonnunquam infanda omnino atque impia, Religio una, quod rectum est et expetendum docet, ab omni errore seiuncta atque remota. O Religio expultrix vitiorum! O virtutum omnium altrix et effectrix! Tu quemcumque tenes, comples pio amore in suos; tu in alienos flectis misericordia et benevolentia; tu ad aequitatem in omnes et ad omnium officiorum praestantiam inflammas studiosissimum patriae, pacatum domi, animosum in acie et fortem, prudentem, moderatum, integrum tandem civem et virum bonum; quem illi, qui sapientes putabantur, cum quaererent, nunquam aut invenire sine te, aut satis mente informare potuerunt. Tu hominum societates concilias; tu aequis legibus civitates moderaris; tu columen et praesidium firmissimum imperiorum es, quae per te et augentur opibus, et consilio, virtute, gloria efflorescunt. Quod si, ut vos videtis, Poetarum est numeris ad hone-

statem homines instituere et ad virtutem, in quo vis Religionis est tanta, iam intelligitis eorum non minus esse homines eosdem ad Religionem componere atque excitare. Equidem, Homerum cum lego, non tam illum publicos privatosque casus, nationum mores, animi motus, naturam totam singulari arte expressisse cognosco, quam populi auribus mentibusque inculcasse accurata admonitione colendos esse et verendos Deos, qui praemiis cumulent bene facta et scelera coerceant suppliciis; qui victorias cladibus premant; qui aerumnas allevent rebus prosperis; qui fortunas, virtutem, vitam dent et adimant providentia sua, qua quidquid est usquam constitutum temperant et tuentur. Iovem hinc videre est illum annuentem nigris superciliis, commotaque a capite immortali ambrosia caesarie magnum Olympum tremefacientem; quem postea a Phidia admirabili simulacro effictum illa oris specie, illa amplitudine ac maiestate Graecia suspexit venerabundo metu. Atque utinam Homerus et qui eum sunt secuti Poetae prisci, cum tam saepe de Diis loquerentur, nunquam Diis indigna essent locuti! Verum illi, ut iam monuit Aristoteles, non tam sua quam populi opinione scripserunt, ferendi ut ea erant tempora, minus certe reprehendendi. Quid vero de iis dicamus, qui Poeticam tam longe retrahunt et abducunt ab instituta ratione ac via; et pietatis et morum integerrimorum magistram ad vitia tradenda et alenda, quod monstri est simile, deferunt? Sunt enim multi, qui omni libidinum effusarum et foedissimorum flagitiorum genere pessimo exemplo scripta contaminant, et (quod pudeat) in tanta veritatis luce sanctissimis disciplinis imbuti eo progrediuntur impudentiae, quo profani homines impietatis caecitate nunquam fortasse devenerunt. O expellantur ex urbibus, per me licet, et obruantur oblivione sempiterna! At quinam hi sunt tandem? Illi praecipue, qui studiose dum removent quidquid sacrum sapiat atque divinum, diligenter consectantur, quae de Diis referuntur in fabulis, quibus scilicet veterum populorum Religio continetur. Quare poeticum studium et

ipsi ostendunt a Religione vix posse divelli, quandoquidem falsam illam amplectuntur in versibus, dum hanc unice veram reiiciunt. Nolo hoc loco subtiliora persequi. Attamen, si Poeticae ratio omnis consideretur diligentius, in hoc ea sita est, ut quidquid, dispersum a natura atque distributum, arte delectum sit, in adumbratam formam et imaginem conferat; qua, quae nulla uspiam sit, sed tamen esse possit, exprimatur pulcritudo excellens et numeris omnibus expleta. Nihil est igitur eius facultatis tam proprium, quam nova et singularia et praestantia suscipere. Quinimo Poemata quaedam lyrica praecipue et epica, unde alia genera quaeque pendent, ulla omnino esse non possunt, nisi admirationem habeant. Quae quidem omnia quam vere offert ultro Religio, quam effuse, quam cumulate! Ut enim illa proponit mundum conditum, creatum et perditum humanum genus, distributas regiones terrarum, legem datam divinitus mirificis praeceptis et documentis, deductionem in promissa regna, sacrificium, caeremonias, sacerdotum ordines et insignia, foedera, bella atque praelia gravissima, ingentia facta virorum atque mulierum, secundas bonorum res, exitia terribilia improborum, prodigia illustria et nobilissima, mysteria, oracula, mandata vatum, Coelestium praesentiam, promissum datumque Servatorem, hominem restitutum, illatam in terras omnes mirabiliter coelestem doctrinam et pietatem, profusum sanguinem testium fortissimorum innumerabilium; crucem, profligatis impiis hostibus, vincere quidquid usquam est, alia plurima eximia, Deum ipsum denique effectorem et moderatorem rerum omnium ita nullis certis regionibus definita et in eas, quas dixi, tot et tantas et in res omnes pertinet, quas angustiores efficit quodammodo magna ipsa et admiranda et Deo plena. In qua tanta copia cum tam gravia et tam sublimia petantur, ex eorum natura, ut fit, is etiam apparatus ornatusque suppetit, is splendor existit in verbis atque sententiis, qui Poetam a communis sermonis consuetudine abhorrentem et surgentem ad excelsa maxime deceat. Iam inde enim granditas et

amplitudo; iam robur et felix audacia; iam, quod caput est, ille ipse, sine quo Poetam ullum probabilem esse posse negabat Democritus, instinctus divini quasi furoris. Nam cum praeclara ista, eximia quadam specie ac prope eminenti, ponantur tamquam in conspectu, cum versentur atque agitentur in partes omnes celeri mentis motu, acria et insignita percellunt animum concitantque, et abstractum ad se et inflammatum ad praestantioris quasi naturae dignitatem evehunt. Quare non solum Homerus, quem dixi, et Virgilius, non solum Pindarus et Horatius et Poetae ceteri magni spiritus et elati, quae ex Religione sunt hausta magnificentius extulerunt; sed illi etiam, qui mediocre et aequabile quoddam genus secuti sunt, mirumque adeo non est, Tynnicum illum Chalcidensem, quem memorat Plato, poema nullum antea composuisse memoria dignum, tum Apollinis laudes cum meditaretur excitatum fuisse vehementius et carmen, quod ab omnibus canebatur, omnium praestantissimum effudisse. Sed quid ista ego? Quasi vero indicio satis non sint Vates sacri, qui Religionem ipsam libris divinissimis non solum ad maximarum, sed etiam ad pulcherrimarum rerum cognitionem datis tradiderunt? *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est.* Sinite me ad eum iterum et Latorem legis et Poetam relabi, quem numquam aut admirari satis possum, aut praedicare. Qui splendor! quae magnificentia toto in carmine! qui motus animi statuentis in conspectu Deum magnificum, terribilem, facientem mirabilia, quasi pugnatorem virum, percutientem adversarios fortitudine praepotentis dexterae, missam iram ab eo suam, quae impios devoret sicut stipulam, congregatas e sedibus imis stantesque in muri speciem aquas, transeuntes Haebreos sicco alveo, insequentem Egyptium hostem, iam iamque comprehendentem abeuntes, dividentemque spe impotenti spolia, implentem cupidissimum animum et exultantem caede, educto e vagina gladio; spiritum autem flantem vindicis Numinis et, corruentibus repente undis, regios currus et exercitum et principes et ducem obruens mare. Quid hoc, quo a Davide excitatur,

ut vicissitudinem reddat superbis Deus ultionum? Quid illud, quod dicitur a sedente ad flumina et flente et nesciô cantare canticum in terra aliena? Quid alterum, quo ille idem describit mundi Opificem indutum lumine sicut vestimento, expansum ab illo late coelum veluti tentorium et aquas in oceanum immissas, elatos montes, depressas valles, irrigatas fontibus, campos vestitos gramine, frugibus, pomis, Lunam lucentem nocte et signantem tempora, erumpentem ab ortu Solem et cognoscentem occasum suum, feras, volucres, pisces illudentes mari apto navigiis, homines, naturam universam, quae a Parente providentissimo et beneficentissimo sustinetur, in pulverem versa, si is faciem avertat, si spiritum emittat suum excitata et renovata, quo spectante, intremit terra, quo tangente, montes fumant et evanescunt? Quid tandem alia tanti Regis praeliis iam ac periculis expediti, in quo, ut ingenii vis et mentis incredibilis ardor, quo quidquid est percurrit atque complectitur, ita omnia summa et divina? Agedum: qualis et quantum Isaias cum aut levitatem fastumque increpat foeminarum, aut Diis stultarum gentium insultat, aut subiicit oculis superbissimum regem prostratum? Nihil non sublime in Iobo, nihil in Salomone non laetum ac molle. Illae quae quidem Scripturis non desunt, illae ipsae Poetriae magnum nescio quid ferunt et admirabile. Tantum enim Annae, Deborae, Iudithae aut Lesbia Sappho cedit, aut Corinna Tanagraea, aut Romana Sulpicia, quantum improbis harum amoribus ea flamma praestabat, qua illae incensae cecinerunt. Complectar brevi: omnes fere miri Scriptores Sacrorum Librorum, in quibus scilicet undique se produnt Poesis lumina tenerae, vehementis, variae et, quae in Poetis aliis, quicumque sint, clarissimis frustra quaeritur, copiosae in brevitate summa et in singulari simplicitate magnificentissimae. Atque hi quidem Scriptores, quod fatendum est, Dei revera numine afflati, quo nunquam fas est homini pervenire, sese extulerunt. Attamen, si in his rebus aut his similibus versabantur Poetae, si sacros etiam Vates, qua licet et qua decet, prudenter imitabuntur, quod et ipsos profanos Poe-

tas certum est fecisse aliquando, nonnihil ad eorum gloriam accedent. Praesertim cum Religio et haec in primis volumina, si historiam etiam quaerimus, quod et ipsum magnum est, ea facinora exhibeant, eas virtutes atque eos eventus, nihil ut iis aptius ad omne carminum genus aut reperiri possit aut excogitari. Quam enim materiam, ut eos hic praeteream, quos memoravi, non subiiceret egregiis versibus aut Noe, aut Abraham, aut Tobias? Quam non Esther, Ezechias, Iosue, Iudas Machabaeus, alii, qui antequam et postquam veritati umbra cesserit, ad praeclara et mira extiterunt. Pictores nobilissimi Raphael, Titianus, Corregius, Michael-Angelus, Leonardus, Paulus, ceteri haec maxime idonea iudicarunt, quae in tabulas suas referrent atque in his incredibili successu plurimum industriae suae posuerunt. Quid est, cur id facere vereantur Poetae in arte simillima ac prope germana atque in eo tantum dispari, quod illi coloribus, hi versibus naturam imitantur? At enim vero qui ingenio et iudicio praestiterunt id et susceperunt sedulo et vera cum laude perfecerunt. Qui, cum sint plures, eminent illustri loco positi atque excelso apud Germanos Klopstockius, Racinius apud Gallos, apud Britannos Miltonus, quibus exemplo fuere Itali illi nostri, quorum gloria omnium gentium sermonibus et praedicatione percrebrescit. Quis enim cupido non perlegit Sannazarii Poema *De Partu Virginis?* Quam vehementer non delectat *Ioseph* Fracastorii? Cui audita non sunt aut Vidae, aut Flaminii, aut Caevae carmina? Missos facio et Tragicos et Lyricos et alios, in quorum numerum non sine causa referendi sunt Torquatus Tassus et Dantes ille Aligherius, cuius nunc tantus amor et tam ardens homines tenet; ille, inquam, Dantes, qui, divino ingenio cum infera, supera, omnia esset complexus, sacri se Poematis Poetam appellavit. Quid est igitur? Quid vobis vultis, quicumque ad hanc artem animum appulistis? Quid quaeritis? quid cogitatis? Vidistis e Religione primum ortam Poeticam et cum ea progressam longius atque perfectam? Vidistis eamdem, cum Religionem celebret versibus, propius

animos tangere, facilius solidiori quasi delectatione detinere, deterrere a vitiis melius, ad bonos mores, ad pietatem, ad omnem virtutem vehementius impellere? In artis ingenium et naturam introspicite. Illi a Religione rerum magnarum copia, argumentorum gravitas varietasque, magnificentia sermonis, aestus divinioris impetus, vis, maiestas, pulcritudo. Quid igitur iuvet Christianum Poetam, nisi quem teneat fastidium Religionis, quam profitetur, Pindum potius aut Parnasum, aut Heliconem, quam aut Sinam, aut Thabor, aut Carmelum conscendere? O montes! o valles! o verenda loca praeclaris monumentis et mysteriis plenissima! Videor ego mihi, nunc mihi videor videre cedros protendentes late ramos in iugis Libani, spectare cupressos nutantes in monte Sion sublimi vertice, palmas in Cades, in Ierico rosas, olivas decoras frondibus et ubertate baccarum, platanos propter aquam contemplari. Iordanis ripae, arces, oppida, Prophetae pulsantes cytharas Deo, gens electa et ingrata, urbs domina gentium ad rerum maximarum recordationem mihi quasi ante oculos obversantur. Coelum, quod ibi patet, beatissimum, aurae, quae ibi hauriuntur, terra, quae premitur pedibus, saxa illa et illi muri in primis et magni sanctitas augusta sepulchri me mihi subripiunt et novo amore occupatum ad edendos cantus, si qui elici ex me possunt, inflammant. Haec vos cogitate et amate, Adolescentes; vos hac mente Poeticae date operam nobilissimae arti, quam nobis maiores nostri auctoritate virorum sapientissimorum et sanctissimorum commendatam reliquerunt. Date, inquam, huic operam et frustra hanc vobis invideant morosi homines, qui, ut soli sapere videantur, iudicant de Clericorum studiis sine iudicio; utque aliorum humanitatem barbaria corrumpant sua, culpant, quae ipsi neque gustare unquam, neque attingere potuerunt.